

Conclusio prima. Quia Iupiter planeta peregrinus est in ascendente solus, item Mercurius dominus ascendentis & faciei ascendentis, datum & dignitatem suam Soli. Dico itaq; formam corporis sui debere trahi à Ioue cum participatione Solis & Mercurij.

Conclusio secunda. A Ioue quidem habebit formositatem membrorum omnium in debita proportione.

Conclusio tertia. A Sole autem claritatem, lucem atq; colorem pulchrum. Huic rei conducit quòd diurna fuit natiuitas, atq; in quarta uernali.

Conclusio quarta. Erit igitur corpore albus ad flauedinem tendens, oculorum mediocrium, paruarum tamen pupillarum, capillorum mediocrium, non ualde crispiorum nec prolixorum, barbæ crispæ & decoræ, genarum altarum, corporis mediocris non admodum crassi, nec nimis macilenti, decenti longitudine sua, aliquanto tamen longiore, hæc eliciuntur ex Ioue & Virgine ascendente.

Conclusio quinta. Veruntamen quòd magis ad pinguedinem atq; longitudinem tendat eius corpus, demonstratur ex significatoribus latitudinem habentibus, & retrogradationibus Iouis & Mercurij.

Conclusio sexta. Sol uero quia uim Mercurij domini ascendentis recipit in Ariete, faciem ei rotundam atq; aspectum uenerabilem cum quadam maiestate largietur, atq; capillorum etiam copiam, ad crispitudinem & albedinem tendentium.

Conclusio septima. Caluiciem quoq; ab anteriori parte capitis, dum tempus fuerit, & ruborem in facie, signum in pede sinistro, oculos deniq; ad nigredinem accedentes, portendit Iupiter à Sole occidentalis in ascendente.

Conclusio octaua. Ipse in incedendo passus maiores faciet, atq; in motuali quantulum tardior erit, hoc significatur ab omnibus sex planetis in latitudine Septentrionali existentibus.

Conclusio nona. Corpus eius erit sine maculis deformantibus, sanum & compositionis decentis, id significat pars stabilitatis in nona domo, sextilibus radijs Solis & Martis illuminata: Item saluatio ascendentis, sextæ & septimæ cuspidum. Deniq; pars Azemine Veneri coniuncta.

Conclusio decima. Membra eius ualida & fortia, indicat pars Celati in Capricorno cum domino suo forti. Prima tertia uitæ ipsius duabus ultimis debilior erit eius rei argumentum sumitur ex habitudine triū dominorū triplicitatis ascendentis.

Conclusio undecima. Status uitæ eius frequentius in sanitate uersabitur, & in egritudinibus raro, probatur ex parte uitæ in termino Iouis, in angulo iuncta domino suo forti & fortunato.

Conclusio duodecima. Faciem uero ipsius magis respondere formæ matris quam patris, declarat pars stabilitatis, magis Veneri quam Soli conueniens. Item ascendens eius ascendenti matris magis conuenit quam ascendenti patris.

Conclusio decima tertia. Constitutio corporis ex calido, & sicco temperato componitur quæ Cholericæ dicitur, id colligitur ex significatoribus corporeæ constitutionis &c.

CAPVT SEXTVM.

De impedimentis & infirmitatibus accidentibus corpori nati,



Infirmitates corporis ex quatuor locis cognoscimus, Ab Ascendente, septima, sexta, & à locis luminariū. Nā si in prædictis locis, præsertim in cuspidibus aliqua infortunarum extiterit, aut eadem loca ex quadrato uel opposito aspexerit, infirmitates nato uenturas decernit, maxime si supra luminaria infortunæ fuerint eleuata, ipsis luminariis in angulis existentibus, aut si sint ambo in uno angulo & dicta luminaria, stellæ maleficæ aspexerint, uel applicent, aut ab eis separentur, aut in oriente, uel occidente infortunæ steterint, infirmitates uarias significabunt.

Satur